

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4549

**Auteur(s) :** Avranches (official)

**Bénéficiaire(s) :** Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1278, 31 mars

**Action juridique :** notification

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'official d'Avranches fait savoir que, devant lui, Richard dit Le Fort et sa femme Ameline ont avoué avoir vendu et totalement abandonné à l'abbé et aux chanoines de Montmorel une vergée de terre sise à Poilley pour 65 sous tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCXXX, p. 225-226.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris officialis Abrincensis salutem in Domino. Noveritis quod in jure coram nobis constituti Ricardus dictus Le Fort et Amelina, ejus uxor, cum auctoritate dicti Ricardi eidem prestita, coram nobis, spontanei non coacti, confessi sunt se vendidisse, concessisse et omnino dimisisse viris religiosis abbatii et conventui Montis Morelli unam virgatam et quindecim perticas terre quas habebant, ratione dicte Ameline, sitas in parrochia de Poille, juxta terram dictorum religiosorum, ex uno latere, et terram Johannis dicti Abbatis, ex altero, et similiter quandam plateam cum quadam domo sita in eadem parrochia juxta herbergamentum Ricardi Gardre, tenendam et jure hereditario possidendam dictis religiosis et eorum successoribus libere, pacifice et quiete, sine contradictione et impedimento dictorum Ricardi et Ameline ac heredum suorum, pro sexaginta quinque solidis Turonensium et venditione dictarum domus et terram, de quibus eisdem a dictis religiosis extitit satisfactum, prout confessi sunt coram nobis et promiserunt ac obligaverunt, quilibet in solidum, se garantizaturos et defensuros eisdem religiosis et eorum successoribus dictas terras cum dicta domo contra omnes et se soluturos eisdem religiosis decem libras Turonensium, nomine pene commisso et loco interesse apposite, rato nichilominus remanente pacto principali, si contingaret ipsos venire contra premissa vel aliquid premissorum, obligantes, quo ad hec, se et heredes suos et omnia bona sua mobilia et immobilia presentia et futura, ubicunque fuerint inventa, specialiter et expresse, renuntiantes etiam exceptioni dicte pecunie non numerate et in utilitatem eorum communem non converse, dolim et in factum auxilio epistole divi Adriani, nove constitutioni de duobus reis promittendi, privilegio crucis assumpte et assumende et omnibus aliis exceptionibus que contra presens instrumentum possint obici vel opponi, et maxime dicta Amelina, cum auctoritate predicta, renuntiavit constitutioni qua cavetur maritum fundum dotalem uxoris alienare non posse, consuetudini Normannie super revocatione fundi dotalis alienati hactenus observate, auxilio Senatus Consulti Velleiani. Juraverunt insuper dicti Ricardus et Amelina, cum auctoritate predicta, quod contra premissa, ratione dotaliciei, maritagii, elemosine vel aliqua alia ratione, non venient in futurum, volentes et concedentes expresse quod nos, nulla monitione premissa, possimus excommunicare et excommunicatos denuntiari facere ac perjuros, nec non eisdem omnem audientiam facere denegari in quocunque foro, si contingaret

ipsos vel eorum alterum venire contra premissa vel aliquem articulum premissorum. In quibus tenendis et fideliter observandis dictos Ricardum et Amelinam volentes et expresse consentientes condempnamus in scriptis. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, die jovis post Letare Jesusalem.